

Dege
DISSERTATIO IN AV
RITIBVS QVIBVSDAM FO
A MANVM MIS
AD S. BAPT I

TRANSLATIS
QVAM
DEI IMMORTALIS A
IVSSV ET AVCTORIT
INCLVTI ORDINIS PHILO
MODERANTE
DOM. CHRISTIANO
SCHVVARZ

SACR. CAES. MAIEST. COM. PAL. M
TIAE ET HISTORIARVM PROF. PVBL.
NORICORVM INSPECTORE ACADEM
CARIO ORDINIS PHILOSOPHIC
ATQVE H. T. DECANO SPECT
PATRONO STVDIORVMQVE SVORVM
RELIGIOSA MENTĒ AETATE
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA
PRIVILEGIIS RITE LEGITIMEQVE
PVBLICO SOLEMNIQVE ERVDIT

XI KAL. IVLII A. S. R. CIOIO
SVBIICIT
BERNHARDVS IACOBVS
NORIMBERGENSI

ALTDORFII
EX OFFICINA HESSELI

INAUGURALIS

AM FORMVLISQVE

MISSIONE

TISMVM

LATIS

AM
ALIS AVSPICIO

CTORITATE

PHILOSOPHORVM

R ANTE

ANO GOTTLIBIO

ARZIO

PAL. MORAL. ELOQVEN-

F. PVBL. BENEFICIARIORVM

ACADEMIAE BIBLIOTHE-

OSOPHICI SENIORE

IO SPECTATISSIMO

SVORVM AMPLIFICATORE

METATEM COLENDO

OPHIA HONORIBVS ET

TIMEQVE OBTINENDIS

ERV DITORVM EXAMINI

R. CIOIOCCXXXVIII

CIT

COBVS DEGENIVS

RGENSIS.

RFII

HESSELIANA.

LIN COLLECTION

Dw.

1738

Atterberg

hi

3V 811

7
939

732

LI
Rare



Q. D. B. V.



Habet suos ritus Respublica ; habet Proemia
 etiam Ecclesia. Etsi enim leges illae^{um.}
 ceremoniales , quas DEVS ipse per
 Mosem Populo Ebraeo sigillatim prae-
 scripserat , ut Messiam , et futura eius
 beneficia , quasi adumbrarent , nunc
 cessent ; haud secus , ac exorto solis
 lumine , recedit umbra : nihilominus tamen etiam in
 Ecclesia christiana supersunt certi ritus ; qui , si ab Eccle-
 sia adsciti , neque per se coniuncti cum superstitione , fa-
 ciant ad ἱεὶρ καὶ εὐαγγελισμὸν , merito retinentur ; multo-
 que magis ii ad cultum diuinum necessarii existimantur ,
 qui a DEO ipso sunt instituti. Vtrum autem quidam ri-
 tus sacri aliquando ex ritibus ciuilibus , imo et ex ritibus
 populorum omnis uerae religionis expertium , sint orti ,
 et ad Ecclesiam christianam translati ? identidem di-
 sputatam est. Ego hac de re b. IOACH. HILDEBRANDI ,
 quam meum , iudicium afferre malo. Ille uero , in *Ri-
 tuali baptismi* , pag. 1 : *Notandum est* , inquit , *quod magna*
pars rituum Ecclesiae a Iudaeis et Ethnicis fuerit desumpta.

Cum enim hi infideles ad fidem CHRISTI aegre ducerentur, ideo, quod religio christiana noua, adeoque falsa, multis uideretur; primi doctores Ecclesiae, Apostoli, uirique Apostolici, pio strategemate usi, ex profanis sacris infidelium multos ritus et instituta retinuerunt, eaque ad sua sacra accommodauerunt; quasi dicere uoluerint: uos infideles, sub ritibus illis uestris uerum Deum colere intenditis; nec tantum haec intentio uestra laudabilis est; sed et plerique ritus satis probi sunt: uerum is, quem sub his ritibus colere uultis, non est uerus Deus, sed idolum. Nos ergo, retentis ritibus uestris, uerum uobis Deum ostendemus, quem sub his ritibus coli oportet. Et hoc artificio ueteres christiani opinionem nouitatis, quae uel maxime ethnicos a religione christiana auertit, sunt amoliti; quamquam, lapsu temporum, pium hoc institutum saepe in abusum degenerarit. Quod si adeo ipsae ceremoniae quaedam a rebus ciuilibus sacrisque Iudaeorum, ac paganorum, ad rem christianam translatae fuere; quidni credamus, idem etiam identidem accidisse uocibus quibusdam loquendique formulis? Certe MART. SCHOOKIUS, in *Exercitationibus uariis*, *Exercit. III*, §. 2, hac de re ita disserit: Ipse Paulus Apostolus, qui se omnibus omnia factum esse ait, 1. Corinth. IX, 22, adorandum illud arcanum, atque ne quidem ipsis angelis penetrabile, incarnationem scilicet Filii Dei, 1. Timoth. III, 16, explicuit terminis, propriis Eleusinae Cereris abominandis sacris; placuitque Spiritui S. uicies septies in N. T. uti uoce *μυστήριον*, peculiari ratione ac proprie conueniente sacris Eleusiniis, in terra Attica celebrari solitis, significationes longe sublimiores, rebusque sacris subuenientes, aptando: ut de aliis similibus plane uocabulis, alibi exhibitis, iam non dicam. Conferatur CAUSOBONUS, *Exercitat. XVI*, *sect. 43*, aduersus Baronium. Quae cum ita sint,

sint, confido, neminem in deteriorem partem interpretaturum esse, quod, cum publicum quoddam studiorum Academicorum specimen dare iussus sim, nunc ostendere constituerim, quemadmodum non solum quaedam loquendi formulae, sed et ceremoniae, in sacro baptisinate christianorum occurrant, quae ex *manumissione seruatorum* adscitae, et ad descriptionem usumque sanctissimi mysterii accommodatae, esse uideantur; siue eae per se ad diuinum hoc sacramentum sint translatae; siue per accidens affinitatem quandam, atque similitudinem, habere uideantur.

II.

BAPTISMVS uero, cuius quosdam ritus illustrandos su- Generatim de S. baptismo,
mam, est sacramentum initiationis, quo, in foedus gratiae, secundum DEI institutum, in Nouo Testamento, recipiuntur, ac regenerantur, et renouantur, ad uitam aeternam, quotquot in nomine SS. Trinitatis, Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus S. aqua abluti, uel tincti, Christo sua dant nomina. Atque adeo, quod cum primis ex MATTH. XVIII, 19, intelligimus, ad ipsam integritatem S. baptismi duo primarii actus requiruntur: nempe *actus lauandi*, siue *abluendi*, uel *aqua adspargendi*; et *actus enuntiandi uerba*; *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*

III.

Sicuti uero, praeter duos illos primarios actus, in Generatim de ritibus accessoriis baptismi.
prima institutione, primoque usu S. baptismi, nullos certos ritus alios diuinitus praescriptosprehendimus; nisi quis coniciat, iam in eo baptisimo, quo usus est *Iohannes baptista*, animaduerti uestigia quaedam antecedentis scrutiny, item admonitionis, et testium, quales fuerint

rint adstantes discipuli Iohannis, neque minus professionis christianae fidei: ita tamen deinceps, ex libertate christianae Ecclesiae, alii atque alii ritus sensim accessere, adeo quidem, ut alii praecederent baptismum; alii eum comitarentur; nonnulli sequerentur. Ex quibus ii maxime, qui sunt uelut *succinctae et utiles declarationes, et commotiones, ponentes ob oculos doctrinam, efficaciam, et usum, baptismi*, iudice Theologo de repurgatis sacris immortaliter merito, MART. CHEMNITIO, P. III LL. Theol. pag. 178; *non sunt temere uel reiciendi, uel damnandi, sed ita declarandi, ut Ecclesia inde aedificetur, utque rudiores totam doctrinam baptismi in mentem reuocare possint.* Primaeuam baptismi simplicitatem, et demum temporis successu uarios ritus accumulatos, recte agnouit VVALAERIDVS STRABO, saeculi noni scriptor, *de rebus eccles. cap. 26, T. X Biblioth. magnae Patrum.* Sciendum est, inquit, *primo simpliciter in fluuiis et fontibus baptizatos credentes; at, sicut ceterarum institutionum ecclesiasticarum decus, ita et huius mystici lauacri gradatim per temporum augmenta celebrationem, in maius creuisse.* Addiderunt alii *chrismatis unctionem; alii exorcismos; alii consecrationem fontis; alii salis; alii salinae, infusionem; alii catechumenorum ordinabilem instructionem; alii scrutinia diligentissima, ad tantum mysterium praeparationis causa statuerunt.* ROBERTVS BELLARMINVS, *Libr. I de sacramento baptismi, Cap. 25,* recenset *duodecim ceremonias, quae antecendant baptismum: Cap. 26, quinque, quae in ipso baptismi adhibeantur: et Cap. 27, alias quinque, quae baptismum sequantur.* Praetero *duodecim ceremonias Confirmationis, quas idem Bellarminus, Libr. II, cap. 13, exposuit: quanquam olim Confirmationem cum ipso Baptismo aliquandiu coniunctam fuisse, alii iam*

iam ostenderunt. Meum institutum non est, nunc omnes illos ritus sigillatim commemorare, quos iam alii copiosissime describere: quorum nomina maximam partem indicavit I. A. FABRICIUS, uir etiam post suprema fata honorifice appellandus, in *Bibliographia antiquaria*, Cap. XI; § 25.

III.

Possit mihi in antecessum obiici, nihil opus esse, ut Anbaptismus christianorum, eiusque ritus potius deducendi uideantur ex baptismo initiationis, inter paganos quosdam usitato? Scilicet, quod attinet ad ipsum sanctum lauacrum, non nulli sibi uidentur deprehendisse quandam eius imaginem in populorum a ueri Dei cultu alienorum sacris, iam ante Christum natum usitatis. Ipse TERTULLIANUS, inter Latinos, qui extant, Patres uetustissimus, *Cap. V de baptismo: Nationes, inquit, extraneae ab omni intellectu spiritualium potestatum, eadem efficacia idolis suis subministrant; sed uidiuis aquis sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lauacrum initiantur Isis alicuius, aut Mitirae; ipsos etiam deos suos lauacionibus efferunt. -- Certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguntur; idque se in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt. -- Hic quoque studium diaboli cognoscimus, res Dei aemulantis; cum et ipse baptismum in suis exercet. Quid simile? Immundus emundat; perditior liberat; damnatus absoluit. etc. Atque idem, de Praescript. Haeret. Cap. XL: Diaboli, inquit, sunt partes interuertendi ueritatem; qui ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis aemulatur. Fingit et ipse quosdam utique credentes et fideles suos; expiationem de-*

litiorum de lauacro repromittit; et, si adhuc memini, Mi-
shra signat illic in frontibus milites suos; celebrat et panis
oblationem; et imaginem resurrectionis inducit; et sub gla-
dio redimit coronam. Non pauca huius rei exempla colle-
git HERM. VVITSIVS, in *Aegyptiacis*, *Libr. II, cap. XV*.
Vix, inquit, ulla usquam gens extat, siue culta, siue barba-
ra, quin initiationes lustrationesque suas baptismo aliquo per-
agat. Sic et CLEMENS ALEXANDRINVS, *Libr. III*
Stromat. pag. 531, agnoscit ἡν ἐμύνα ἡ βαπτισματός, ima-
ginem quandam baptismatis, quando Penelope, ad preces
ueniens, Homero dicitur aquis abluta, mundas gestasse in
corpore uestes; et Telemachus, manibus pelago ablu-
tis, uota nuncupasse Mineruae. Atque idem, *Libr. V*
Strom. pag. 582, ait: Οὐκ ἀπεικλῶς καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ
Ἴλλησι, ἀρχὴ μὲν τὰ καθάρσια καθάρσιος καὶ τῆς βαπτισματός τὸ μυστήριον.
h. e. Non abs. re in mysteriis quoque, quae sunt apud Grae-
cos, primum locum tenent expiationes et lustrationes; sicut
etiam apud barbaros lauacrum. Quidam etiam saepe trina
adspersione usi sunt; nisi putes, ter, pro crebro, poni.
Sic enim OVIDIVS, *Libr. III Fastorum, u. 315*, de Clau-
dia Quinta canit: Haec manibus puram fluminis hausit a-
quam. Ter caput irrorat; ter tollit ad aethera palmas. At-
que idem, *Libr. VII Metam. u. 189*, de Medea: Sidera so-
la micant; ad quae sua brachia tendens Ter se conuertit; ter
summis fluminis crinem Irrorauit aquis. etc. Et IUVENALIS,
Satyr. VI, u. 521: Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet. Itaque, praeter alios,
PETRVS CHAVVINVS, de religione naturali, P. II, cap. 5,
et PETRVS DANIEL HVEIVS, in *Quaestion. Alsenat. Libr. II,*
cap. 20, statuere, christianam religionem haec spolia paga-
norum in sua castra transfuisse. Quos uero iam notarunt
Theo.

Theologi quondam meritissimi, IO. GVIL. BAIERVS, et IO. FRID. BVDDVS, in *Animaduersionibus ad Petrum Chauuinum*, Cap. VII, § 48. Etsi uero quaedam quidem non nullorum rituum externorum similitudo in lustrali paganorum lotione, et in diuino christianorum baptifmate, obseruari potest: nondum tamen est probatum, christianos transsumfisse istos ritus a paganis; cum pagani potius in his partim Ebraeos, partim post CHRISTVM natum, ipsos etiam christianos, peruerse aemulati esse uideantur. Deinde plures ceremoniae sensim ad baptismum accesserunt, quam quae ex sola ista lotione lustrica possint deduci.

V.

Sed propior uerifimiliorque occasio baptismi christianorum diuinitus instituti nobis occurrit ex baptifmo Iudeorum, quo iam olim in recipiendis initiandisque alienigenis, siue profelytis, fuere usi. Scilicet prout, praeter multos alios, SELDENVS, de *Iure naturae et Gentium*, Libr. II, cap. 2, pag. 140, et DANZIUS, in *Differt. I de baptifmo initiationis Ebraeos inter et gentiles*, ex Magistrorum Ebraeorum scriptis docent, Israelitae tribus maxime initiandi generibus inierunt foedus: *circumcisione* nempe, et *baptifmo*, et *oblatione*. BAPTISMO proprie non natis Ebraeis, sed alienigenis, qui Reipublicae Ebraeorum adscribi uoluerunt, opus fuit: quanquam necesse erat, ut, qui Ebraicae ciuitatis iura consequi et omnia profelyti iusti priuilegia obtinere, cupierunt, omnibus illis tribus generibus initiarentur: cum nemo uerum membrum Ecclesiae Iudaicae esse crederetur, qui non et membrum esset reipublicae Iudaicae. Atque adeo tunc quidem iste baptifmus non uideretur fuisse, nisi solennitas quaedam forensis, cui praefuere triumuiui, qui

An baptifmus christianorum originem debeat baptifmo iudaico profelytorum?

iudicia apud Ebraeos rite exercere potuere; siue ex compromisso adsciti, siue ex auctoritate publica constituti. Quicumque ergo profelytus, siue mas, siue femina, ex paganis, aut postea etiam ex christianis, progressus, membrum quoddam reipublicae Iudaicae fieri uoluit, eius corpus in fluuio, stagno, uel fonte, fuit abluendum. Dum uero profelytus ita stetit in aqua, triumuii superne inclinarunt super eum, eidemque necessaria quaedam praecepta explicarunt. Vti uero feminam collo tenus in aqua collocatam aliae lauarunt feminae; ita nihilominus adstiterunt triumuii, baptismum rite obseruantes: quibus uero, pudoris causa, tunc facies fuit auertenda, abscondendumque, baptizata ex aquis ascendente. Huiusmodi ceremonias adhuc quoque superesse in initiatione clandestinorum Iudaeorum, qui ex Hispania et Lusitania oriundi, forte in Hollandiam, aut Hamburgum, se recipiunt, atque ibi, quales sint, professi, et ex semiuudaeis Iudaei integri, ex occultis publici, facti, a Iudaeis ceteris recipiuntur in gregem; testatur b. VVAGENSEILIVS, in *Sota*, pag. 272, ex Iohanne Maria Vincentio; et *Libr. II, cap. 1, Synopsis Geograph.* pag. 124. Ceremoniam arcanam, inquit, qua id peragi solet, nondum a quoquam, qui Iudeorum instituta exposuere, reuelatam, inuauit prodere. Scilicet clandestinus Iudaeus, qui pro Christiano haecenus se gesserat, a Rabbinio Archisynagogo, quem Iudaei nonnulli primarii, pro testibus et adiutoribus futuri, comitantur, deducitur ad flumen aliquod. Ibi quaestus, num bona fide ad religionem Iudaicam accedere uelit; ubi, uelle se, responderet, testibus omnibus exiit. Sic denudatum parastatae, aqua primum calida probe abluunt; et pumice atque arena totum corpus, maxime autem pectus et scapulas, quae membra in
 bapti-

baptismo oleo sacro fuere inuncta, perfricant. Postea, omnes totius corporis pili abraduntur, manuum pedumque ungues, ad uiuam usque carnem, et ut sanguis inde perfluat, refecantur. Sic lotus et rarus Epopta ter flumini sese immergit, pronuntians uerba concepta: *Benedictus sis tu, Domine, Deus noster, mundi regnator, qui nos sanctificasti praeceptis tuis, nobisque praecepisti aquae lustrationem!* His peractis, sacris initiato induunt nouas uestes, osculantur eum, nouoque nemine appellant, qui dehinc christiana sacra exsecratur, et instrumento scripto confirmat, non discessurum se unquam a Iudaica religione. Interiectis aliquot diebus, per circumcisionem, complementum teletarum et expiationis accipit initiatus, nisi is iam clam a parentibus, sed quod rarissime hi audent, fuerit circumcisisus. Scio quidem, esse uiros eruditos, qui negent, baptismum christianorum quasi prognatum esse ex baptismo Iudaico profelytorum; adeoque opinentur, hunc profelytorum baptismum, potius a christianis transiisse ad Iudaeos, aut demum a Iudaeis, Iohannis baptistae auctoritate permotis, receptum fuisse: uerum utique plures annotaui, qui ritum illum solennis immersionis pro uetusto Israeliticae initiationis simbolo habuere, quod uel ipsi *Patriarchae* iam usurparint; uel Iudaei, ut a Samaritanis fecernerentur, addiderint circumcisionis mysterio; Iohannes autem, qui ad uiam Messiae praeparandam diuinitus missus instructusque erat, e Iudaicis sacris mutuatus sit, et Seruator postea confirmarit, ita quidem, ut iste ritus Iudaicus ad altioris mysterii sanctitatem, et ad salutare initiationis christianae sacramentum, sit euectus. Cuiusmodi sententiam exposuerunt, SELDENVS, *de Iure nat. et gent. Libr. II, cap. 2, seqq.* LIGFOOTVS, *oper. T. II, pag. 265*; SLEVOGTVS, *Dissert. de*

Profelytis Iudaeorum; GOOTVVINVS, in *Mose et Aaron*; ALTIN-
 GIVS in *Praelect.* VII de *profelytis*; HILDEBRANDVS, in *Rituale*
baptismi veteris, pag. 3. CARPZOVIVS, ad SCHICKHAR-
 DI *Ius regium Ebr.* pag. 329; VVORMIVS, de *corruptis antiqui-*
tatum Ebr. apud Tacitum et Martialem uestigiis, *Libr. I. cap. I*;
 LEYDECKERVS, de *Republ. Ebraeor. Libr. VI, cap. 6*; VVIT-
 SIVS, de *utilitate et efficacia baptismi*; DANZIVS, in *Dissert.*
de baptismo initiationis Ebraeos inter, et gentiles, et in Dissert.
inaug. de antiquitate baptismi initiationis Israelitarum vindic-
cata; BVDDIVS, in *Dissert. de Paedobaptismo*; S. R. PFAF-
 FIVS, de *originibus iuris ecclesiastici*: praeter quos etiam
 laudari animaduerto, BARONIVM, BVXTORFIVM,
 BVRMANNVM, BRAVNIVM, LEVSDENIVM, REISKIVM, SPENE-
 RVM, HOLZFVSIIVM, et ZORNIVM. Equidem huic
 controuersiae diiudicandae imparem me agnosco: fateor
 tamen, multo uerifimiliorem mihi eorum uideri sen-
 tentiam, qui illum baptismum profelytorum censent No-
 ui Foederis tempore fuisse antiquiorem: cum non adeo
 obscura huius rei indicia afferri soleant; et cum nihil facilius
 ad credendum mihi esse uideatur, quam Iudaeos, quibus
 lauaciones et lustraciones adeo semper fuere familiares, ut
 neque templa ingrederentur, neque precarentur, neque
 sacrificarent, neque aliud quid solennius agerent, nisi
 loti et lustrati; etiam in aduenis reipublicae suae initiandis
 quodam baptismi genere usos esse. Sicuti uero initiatio
 profelytorum per baptismum non fere fuit, nisi fo-
 rensis et politica actio; prout supra innui, et pluribus
 comprobauit VITRINGA, in *Archisynagogo*, pag. 400:
 ita initiatio, et profelytorum, et indigenarum Iudaeo-
 rum, per *circumcisionem*, magis fuit sacra et ecclesiastica
 actio; utpote per quam in foedus gratiae diuinae reci-
 pieban-

piebantur, et tanquam proprio signo inferebantur ecclesiae Iudaicae, qui religionem et sacra Israelitarum profitebantur: haud secus, ac קריב, siue *oblatio*, ante templi excidium fuit quasi sacra confirmatio professionis religionis Iudaicae. Cum itaque deinceps, in Nouo Testamento, ex institutione diuina, baptismus ordinatus fuerit sacramentum *initiationis spiritualis christianorum*; is quidem, ratione rituum quorundam externorum, admodum similis est baptismo Iudaico; ratione uero formae, itemque uirtutis et efficaciae suae, successit in locum *circumcisionis*, nosque efficit heredes et ciues *regni caelorum*. Vnde et diuo PAVLO, ad COLOSS. II, 11, baptismus dicitur περιτομή ἀχειροποιήτος, *circumcisio, quae fit sine manibus*. Neque uero uerendum est, ne quid detrahatur dignitati sacri baptismi christianorum, si uel maxime statuamus, aliquem initiationis baptismum olim etiam inter Iudaeos obtinuisse, eiusque ritus quosdam inde ad nostrum baptismum translato esse. Vere enim recteque hac de re iudicauit b. BVDDEVS, in *Dissert. de Paedobaptismo*, §. VIII. *Baptismus Iudaicum, inquit, in christianismum transisse, possumus concedere: scimus enim, aliam plane naturam in christianis postea eum induisse: cum rite administrato SS. Trinitas, secundum promissionem, adsit, baptizatumque in gratiam recipiat, et heredem uitae aeternae constituat, peccata ei remittat, Spiritus dona largiatur. etc. Quatenus igitur baptismus est ceremonia quaedam externa, dici potest, Christum a Iudaeis eum ad Christianos quoque translulisse: quatenus uero est lauacrum uerbo Dei sanctificatum, aut sacramentum, quod dicunt initiationis christianae, in locum circumcisionis uenisse, quilibet uerbo Dei nixus potest cognoscere.*

VI.

Etiam apud
Iudaeos
per bapti-
smum ali-
quando
serui sunt
manumissi.

Videor mihi hic audire obloquentem, sic argumen-
tum nostrum de ritibus quibusdam manumissionis ad S.
baptismum translatis fore superuacaneum ; neque ope-
rae pretium uideri, eos ritus ex manumissione, aut aliunde,
accersere uelle ; cum ipsi statuamus, baptisma nostrum,
eiusque quosdam ritus, ex baptismo Iudaico profelytorum
posse deriuari. Verum, praeterquam, quod aliquando apud
ipsos quoque Iudaeos, serui in nomen libertatis baptizati,
tanquam manumissi, libertatem con-
sequebantur ; ritus baptismi christianorum sensim augeri,
neque solum ex moribus Iudaeorum, sed aliorum etiam
populorum, identidem non nulli adscisci, consueuere.
Certe enim, quo profelyti ritu, in rempublicam Iudaicam
recipiendi, soliti sunt initiari ; eodem ritu etiam captiuos,
seruosque paganos, qui publice et solenniter apud eosdem
libertate donandi essent, initiari solitos esse, docet laudatus
SELDENVS, *Libr. II de I. N. et G. cap. 3.* *Seruus, inquit, ex gentilibus emittitur, aliaue ex causa
eiusmodi acquisitus, aut ex ancillis domini nondum in Iudaismum
cooptatis, dominatus, quam primum ipse Iudaismo nomen
dare uoluit, si, praesente domino, baptismo susceptus profiteretur
triumuiris, se baptizari coram illis nomine ingenui, liberiue,
aut nomine iuris profelyti, libertatem, seu integrum profelyti iusti
ius, nanciscebatur, atque ita ex aquis liber ascendeat, adhibito in-
terdum ex sententia forensi, quae abnuentem dominum coerceret,
manumissionis libello, qui semper libertati plene acquirendae fuit
necessarius.* Nisi uero libertate in ipso actu baptismi donandus
esset, disertis uerbis baptizabatur לשם עבדות, *nomine seruitutis retentae* ; et tunc dominus superne incli-

mans

nans eum in aquis cohibuit, nec ascendere fuit, usque dum uerbis, siue domini, siue ipsius, disertis, baptismum nomine seruitutis retentae fieri pronuntiaretur. Atque idem SELDENVS, cap. 5: *Praeter ipsum, inquit, liberti nomen, ouum non ouo similis, quam in cunctis libertinus profelyto. Omnia de Iudaei nominis acquisitione, regeneratione, adeoque cognitione pristina deleta, iuris Iudaici participatione, peregrinitatis retentione, et conditione posterorum, iam ante dicta, in eundem manumissum similiter ad amissum conueniunt.* Equidem, dum DEUTER. XXI, 13, seq. mulieri externae et captivae, uiro autem Israelitae nupturae, et manumittendae, ritus quidam obseruandi iniunguntur, nullam baptismi alicuius mentionem fieri animaduertimus. Ibi enim diuinus scriptor: *Si egressus fueris, inquit, ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manum tuam, captiuosque duxeris, et uideris in numero captiuorum mulierem pulchram, et adamaueris eam, uoluerisque habere uxorem; introduces eam in Domum tuam: quae radet caesariem, et circumcidet unguis, et deponens uestem, in qua capta est, sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense, et postea intrabis ad eam, et dormies cum illa.* Hic uero baptismi mentionem ea ex causa omissam putes, quia tanquam ritus Iudaeis familiarissimus, et fere in omnibus rebus alicuius momenti usitatus, ac per se iam notus, ibi quasi *praesuppositus* fuit; uel quia eo ipso simul indicatur *baptizandi*, seu abluendi, officium, quod talis femina iubebatur uestem, in qua capta erat, deponere, ut scilicet abluta nouis candidisue uestibus potuerit indui: neque enim uerisimile est, sponsam, sine antegresso lauacro, cum nouo marito coniunctam fuisse: uel denique, quia, si tum temporis in eo

casu baptismus nondum usitatus fuisset, forte postea de-
 mum ii ritus fuerint aucti. Vtunque est, nobis suffi-
 cit, hic animaduerti ceremonias quasdam, u. g. abrasio-
 nem crinium, refectionem unguium, depositionem et
 mutationem uestium, *abrenunciationem* ac dimissionem
 pristinae cognationis, propter quam manumissae, uelut
 regenitae, et in aliam familiam, remque publicam, trans-
 gressae, parentes per unum mensem flere licuit: cuius-
 modi ritus alioquin non solum in profelytis Iudaeorum,
 seruisque soleniter manumittendis; sed partim etiam
 aliquando in baptizandis christianis, obseruatos depre-
 hendimus.

VII.

Quaeri hic potest, an etiam inter christianos per
 baptismum susceptum manumitti, et libertate donari,
 consueuerint serui? Annotauit eruditissimus POTGIESSE-
 RVS, *comment. de statu seruorum Libr. IV, cap. 4.* omnino
 olim multos dominos christianos uinculis seruitutis pa-
 lam liberasse, propter baptismum, seruos bonae frugis;
 atque exinde etiam, cum quidam religiosa mente in
 Ecclesiae gremio seruis suis concesserint libertatem, or-
 tam esse *manumissionem in Ecclesia*, de qua postea non ni-
 hil dicam. Hoc certum est, aliquando opinionem illam
 obtinuisse, ut multi crediderint, seruitutem charitati et
 religioni christianae minus conuenire; redemptos a Chri-
 sto etiam restituendos esse pristinae libertati, ad quam
 primi homines a DEO fuerint conditi. Vnde serui, cum
 primis Iudaeorum, cum christianam professi religionem,
 sacroque lauacro abluti essent, etiam ingratis domino-
 rum, a christianis in libertatem sunt uocati. Id quod
 uelut necessarium cum primis praecepit, urfitque, GREGORIVS

An etiam
 inter chri-
 stianos
 serui per
 bap-
 tismi ma-
 numissi et
 an Turci
 baptizati
 adhuc li-
 beri cen-
 sendi?

GORIVS M. *Libr. III, epist. 31.* Imo, adhuc recentiore tempore, GOTFRID. NICOL. ITTIGIVS, Iurisconsultus Lipsiensis, in disputatione, *de mancipiorum Turcicorum manumissione baptismo implicita*, docuit, Turcicamancipia, baptismo inter christianos suscepto, manumissa censeri. Praetermitto hic, etiamnunc quibusdam opificum tribubus solenne esse, ut illorum famuli, tirocino posito, praeter alias ceremonias, aqua perfusi e tirocino dimittantur; nescio, annon in imitamentum, uel potius dehonestamentum, diuini baptismi? Verum, quamuis certum sit, S. baptismum afferre *libertatem spirituales*; non tamen necesse est, ut inde etiam *libertas ciuilis* constituatur. Satis scimus ex diuinioribus literis, professionem christianae religionis, et sacramentum initiationis, per se, et ex instituto diuino, non tollere uinculum seruitutis. Quid enim clarius est sententia diui PAVLI, I ad CORINTH. VII, 20, 21, 22: *Vnusquisque in ea uocatione, in qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es? ne sit tibi curae. Quin etiam, si potes liber fieri, potius utere. Etenim, qui in Domino uocatus est seruus; libertus Domini est: similiter, et qui liber uocatus fuit, seruus est Christi.* Conf. I ad TIMOTH. VI, 1, 2; I PETRI II, 18. Atque adeo, cum iam in primitiua christianorum Ecclesia eiusmodi pruritus libertatis seruos sollicitasse uideatur; eum pii Ecclesiae Doctores sedulo repressum iuerunt. Hinc iam IGNATIVS, ad Polycarpum, cap. IV, pag. 18, ita seruos commonefacit: *Μη ἐράτωσαν δέλοι ἀπό τῆ κοινῆ ἐλευθεροῦσαι, ἢ ἀ μὴ δέλοι εὐρεῖσθαι τῆς ἐπιθυμίας.* i. e. *Ne cupiant serui, a COMMVNI (uel Ecclesia, uel Republica,) donari libertate, ne serui inueniantur cupiditatis.* Et quod ad libertatem mancipiis Turcicis propter baptismum con-

cedendam attinet, mihi magis probatur sententia negans WEINHAGENII, in Dissertatione inaugurali *de effectu baptismi iuridico*, sub praesidio IAC. FRID. LVDOVICI, Iureconfulti quondam Hallensis, A. 1713, habita.

VIII.

Generatim
de manu-
missione ser-
uorum.

Quoniam uero mihi non constitutum est, nisi de iisduntaxat ritibus baptismi pauca differere, quorum quaedam similitudo et affinitas cum ritibus manumissionis esse uidetur: nunc quaedam generatim de manumissione praemittam. Dicitur uero mihi hoc loco *manumissio* liberatio et dimissio serui e seruitute. Scilicet, uti nullus facile populus, nullaque respublica, unquam extitit, ubi nulla prorsus seruitus habuerit locum; quamquam omnino alibi durior, mitior alibi, fuerit seruorum conditio: ita nec potui reperire ciuitatem, in qua omnibus in uniuersum seruis aditus ad libertatem consequendam penitus fuerit praecclusus. Nobilissimus POTGIESSERVS, in eximiis *commentariis de statu seruorum, Libr. III, cap. I: Seruili acerbitati*, inquit, *tandem ex manumissione solatium est datum, adeo, ut, si non omnes, multi tamen, ex seruorum grege, libertatem obtinuerint, eamque ad posteros suos transmiserint. Hoc suasisit humanitas, aliquando aequitas ipsa, aliquando religio. Accesserunt et aliae causae. Nam domini haud raro seruorum fidelitate, et probitate morum, quandoque eruditionis praestantia, non nunquam accepto liberationis pretio, imo et charitate christiana, aliisque modis, ad manumissiones inuitabantur.* Sicuti uero eiusmodi manumissio, pro constitutione cuiusuis reipublicae, uariis legibus temperata fuit; ita ubique quidem, libertatem, si non semper plenam, aliquam tamen, et restrictam,

strictam, adeoque et ius ciuitatis, pro fine habuit, uariisque aliquando ritibus peragi consuevit. De statu et manumissione seruorum Ebraeorum pariter, atque Graecorum, multa quidem sparsim annotata legimus; dignum tamen foret argumentum, quod aliquando ex instituto pertractaretur; prout de *manumissione seruorum apud Romanos*, anno 1685 libellum edidit WILHELMVS A LOON, Neomagensis; quanquam et huic opellae non pauca addi possent. De *manumissione autem seruorum apud Germanos usitata*, laudatus POTGIESSERVS, in libro citato, magna accuratione egit; cuius egregia opera, in hoc argumento illustrando posita, nunquam satis laudari, commendarique, potest. Vox autem *manumissionis* Romanis fuit propria; quae, explicante Imperatore, *Instit. L. Ide libertinis*, dicebatur quasi *de manu datio*; *nam quamdiu aliquis in seruitute est, manui et potestati suppositus est; et manumissus liberatur potestate*. Itaque is, qui asserbatur libertati, a domino e manu mittebatur, ut indicaretur, talem seruum in posterum iugo herili laxatum, et potestati domini exemptum esse. Manumissionis autem apud Romanos uaria erant genera. Antiquissimum habebat *censo*; quando seruus de uoluntate et iussu heri nomen suum in censum lustralem conferebat. Alterum genus fiebat per *uindictam*; quando seruus, raso capite, ad Praetorem, uel post ea tempora ad Consulem, aut in prouinciis ad Proconsulem, deducebatur, eiusque caput, uel aliud membrum, dominus tenebat, ipsumque seruum in gyrum circumuertebat, et, alapa inflicta, e manu emittebat, dicens: HUNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO. Vbi mox Praetor, *uindicta*, i. e. uirgula, uel festuca, capiti manumittendi imposita, dicebat: AIO TE LIBERVM

ESSE MORE QVIRITIVM. Hinc conuersus ad lictorem, addebat : SECVNDVM TVAM CAVSSAM SICVT DIXI ECCE TIBI VINDICTA ! Tum lictor caput serui uindicta aliquoties percutiebat. Tertium genus fiebat per *Testamentum* ; si nempe dominus seruo , in testamento, hanc in sententiam adscripserat libertatem : DAVVS SERVVS MEVS LIBER ESTO. Praeter ista tria antiqua manumissionis genera, deinceps et complura alia fuere introducta , u. g. *per epistolam ; per codicillos ; inter amicos ; per adoptionem, et adscriptionem liberae familiae ; per redemptionem propinquorum, et in SS. Ecclesiis.* Quos omnes libertatis dandae modos, ritusque, non solum Iureconsulti plerumque ad *Instit. Tit. de ingenuis, et libertinis* ; sed et alii Antiquitatum Romanarum scriptores, plenius exposuere. Mensuram enim dissertationis Academiae excederem, si nunc ea omnia, quae huc pertinent, exponenda susciperem.

VIII.

Vti manumissio afferebat libertatem civilem, et ius ciuitatis ; ita baptizati consequuntur libertatem spiritualem, et sunt ciues regni Christi.

Equidem EDMVNDVS MERILLIVS, Antecessor quondam in Academia Biturigum eruditissimus, *Lib. III, cap. 3, observationum*, opinatus est, ex manumissione seruorum, tunc demum quosdam ritus ad baptismi christiani solennitatem translatos esse, cum manumissiones ex CONSTANTINI, Imperatoris, legibus, *in Ecclesia* fieri consueuerint. Id quod etsi de certis quibusdam *circumstantiis* concedo ; multo tamen antiquius, quasdam ceremonias, loquendique formulas, baptismi et manumissioni communes fuisse, animaduerto. Sic iam in ipsis literis diuiniorebus, uti *manumissis* ; ita et *baptizatis*, quaedam tribuitur *libertas*. Erant apud Iudaeos duo genera ser-

seruorum : alii ex ipsis Ebraeis prognati, qui uero uel ob summam paupertatem ipsi se aliis Israelitis uendiderant in seruitutem, in tot quidem annos, quot cum emtore conuenerant ; uel ob furtum, quod restituere haud ualebant, a foro, seu iudicio, seruituti addicebantur. Sicut autem seruitus illius, qui se ipsum uendiderat, post annos pacto constitutos ordinarie soluebatur ; ita et ille, qui a iudicio uenditus erat, septimo a seruitute anno in libertatem restituebatur. DEVT. XV, 12. Poterant tamen etiam extra ordinem, uel per *manumissionis libellum*, uel per *redemptionem*, tales serui ante constitutum tempus a seruitute liberari. Imo et *annus iubilaeus*, quocumque tempore incideret, iis afferebat libertatem. Serui uero ex aliis gentibus oriundi, et uel iure belli, uel emtione, aut permutatione, in seruitutem redacti, duriore utebantur conditione. Hi, eorumque liberi, ex matre etiam serua nati, perpetuae quidem seruituti dicebantur subiecti ; nihilominus tamen uariis etiam modis poterant *יצא בחירות*, *libertatem adipisci* ; dum uel pretio a domino consentiente redimerentur, uel ultro et liberaliter a domino, per libellum manumissionis, dimitterentur, atque, praesente et non renuente hero, suscepto baptismo, profiterentur triumuiris, se baptizari coram illis in nomen liberi, aut nomine iuris profelyti ; tunc scilicet, si ex aquis adscenderent, liberi fiebant, et ius integrum profelyti iusti nanciscebantur. Id quod pluribus docuit SELDENVS, *Libr. II de I. N. et G. cap. 3, et 5 ; et Libr. V, cap. 12 ; item Libr. VI, cap. 8*. Ita etiam apud alias gentes, apud quas seruitus usu recepta fuit, datus etiam est aditus ad libertatem ; quamuis eam, pro cuiusuis reipublicae institutis, identidem uarie temperarint. Apud ATHENT-

ENSES ius erat τῷ βυλομένῳ ἀφαιρᾶσθαι εἰς ἐλευθερίαν, *alium liberali afferere causa manu, seque pro illo fideiussorem dare apud Polemarchum.* Quin et haec lex erat : Τοῖς ἐξῆναυ εἰυῖς ἐλευθερῶσαι, ἀργύριον κατὰβάλλοντες τῷ δεσπότη. i. e. *Seruis ius esto, libertatem consequi, numerata domino pecunia pro capite.* Vide SAM. PETITI *Leges Atticas*, pag. 12, et 175, seqq. Quid ergo notius est, quam Graecis dici ἀπελευθερῶσαι, et ἐλευθερίαν, pro liberatione et dimissione e seruitute? Manumissos audiisse ἴς ἀπὸ δουλίας ἐλευθερωθέντες, ἐλευθέρως, ἀπελευθέρως; Et Graeci quidem inter *addicti*, et *serui* libertatem, ubi eam uterque recuperavit, discerniculum ex nominibus ponunt. Illum ἐξελεύθερον, hunc ἀπελεύθερον, uocant. Quod ex *Anthonio*, aliisque, com-
monstrat SALMASIVS, *de modo usurarum*, pag. 875. Apud Romanos, antiquissimis temporibus, ex instituto Seruii Tullii, teste DIONYSIO HALICARN. *Libr. III*, pag. 126, manumissis mox *integra libertas, iusque ciuitatis*, concedebatur, ita, ut eandem, qua manumissor fruebatur, libertatem consequerentur, fierentque Cives Romani. Quo et respicit CICERO, *pro Cornel. Balbo*, cap. XXIII. *Seruos denique*, inquit, *quorum uis et fortunae conditio infirma est, bene de republica meritos, persaepe LIBERTATE, id est, CIVITATE, publice donatos uidebamus.* Cum uero, ex abusu quodam manumissionis, saepe etiam indignissimi homines iura ciuium liberorum inuaderent; deinceps legibus certis coercita est nimia manumittendi licentia, cautumque est, ut non omnes integram adipiscerentur libertatem; sed certi tantum libertini fierent *Cives Romani*; alii *Latini Iuniani*; alii ad *deditiorum* duntaxat conditionem peruenirent. Primus Iustinianus, sublatis eiusmodi discriminibus, omnibus libertinis iura ciuitatis indulfit.

dulfit. Qua de re Iureconfulti agunt, ad Instit. Libr. I Tit. v et vi; et nominatim uiri eruditionis fama illustres, HEINECCIUS, in *Syntagm. Antiquit. Iuris*; et POTGIERSERVS, l. c. *Libr. III, cap. I*: qui posterior ostendit, Germanos perinde, ac Romanos, non uno, sed diuersis modis, libertatem iustam, uel iniustam, seruis suis tribuisse. Sicuti ergo *ex manumissione* exitebat quaedam *libertas ciuilis*; ita etiam *baptismus* christianis confert *libertatem*; non quidem *politica*, siue *ciuilem*; prout ERASMVVS, ad I TIMOTH. VI, 2, falso tradidit: *Turpe esse inter christianos nomen heri, aut serui, audiri: cum enim baptismus omnes pares reddat, non conuenire, fratrem a fratre seruum appellari.* In quam sententiam non nulli etiam illa TERTVLLIANI uerba, de *Idololatr. cap. XVIII*, interpretantur: *Tu uero nullius seruus, in quantum solius Christi; qui te etiam captiuitate saeculi liberauit, ex forma dominica agere debebis.* Conf. quae iam supra, § VIII, proposui. Verum, S. baptisnus confert *libertatem* multo sublimiorem: nempe *libertatem Spiritus*; dum per baptismum regenerati, e statu seruitutis miserrimae in statum gratiae transferuntur; qui constat liberatione a maledictione legis, a dominio peccati et satanae, et a iugo ceremoniarum: usque dum et gloriosa illa filiorum Dei libertas accedit; de qua PAVLVVS loquitur, ad ROM. VIII, 21. Et enim, teste PAVLO, ad TITVM. III, 5: *Deus secundum suam misericordiam, saluos nos fecit (ἔσωσε) per lauacrum regenerationis, ac renouationis Spiritus sancti.* Vbi haud aberrauerit, si quis uerbum, ἔσωσε, reddiderit: *liberauit nos.* Σωτήρ enim καὶ ἄρχηγός dicitur, διὰ τὸ σῶζειν τῆς αἰχμαλώτης, quia captiuos liberat. MACAR. Homil. XXVI, Οἱ γὰρ Κύριος ἐν μέσῳ αὐτῶν ἔστιν, ὅς ἐπικαλεῖται Σωτήρ διὰ τὸ σῶζειν τῆς αἰχμαλώτης.

λῶτες. Atque idem PAVLVS, citato loco, n. 15, ait: Non accepimus spiritum seruitutis, ad timorem; sed accepimus Spiritum adoptionis. Et ad Rom. VII, 6: Nunc, inquit, liberati sumus a lege mortis, in qua, (ut serui,) detinebamur: ut seruiamus in nouitate Spiritus, et non in uetustate literae. Conf. IOHANN. VIII, 33. Hanc adeo libertatem CHRISTVS nobis promeruit; SPIRITVS S. autem per Euangelium et Sacramentum baptismi applicat, atque obfignat. Vnde recte b. LVTHERVS, in Catechismo minori: Baptimus, inquit, operatur remissionem peccatorum; LIBERAT a morte, et a diabolo; et donat aeternam beatitudinem omnibus, qui credunt hoc, quod uerba et promissiones diuinae pollicentur. Quin imo, sicut aliquando manumissi cum libertate consequebantur ius ciuitatis; ita nos etiam, baptismo regeniti, reddimur uera membra et ciues Ecclesiae Christi, tanquam coetus cum DEO coniuncti, tam in terra adhuc militantis, quam in coelo tandem triumphantis. Quod CHRISTVS ipse testatur Nicodemo, IOH. III, 5: Amen, Amen, dico tibi: nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu; non potest introire in regnum Dei. Vbi per regnum Dei non tantum regnum gratiae; sed et regnum gloriae, designatur. Quod utrumque regnum regit CHRISTVS, tanquam Rex in monte Sion, cui totus mundus in hereditatem datus, et qui uirga ferrea regere gentes debebat. PSALM. II, 6. Et tanquam Rex gloriae, PSALM. XXIII, 7; APOCAL. III, 21; V, 13. Sic uero nos non erimus hospites et incolae; sed συμπολίται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τῆς Θεᾶς, quasi conciuues Sanctorum, et domestici Dei. EPHES. II, 19. Etenim, per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus; siue Iudaei, siue Graeci; siue serui, siue liberi; et omnes unum Spiritum hausimus.

X.

Mirus effectus manumissionis erat, quō manumissi, ^{Baptizati} et libertate donati, ^{aeque, ac} *regenerari*, et *noui homines fieri*, dice- ^{manumissi,} rentur. Per quam *ciuilem regenerationem*, nihil aliud in- ^{regenerari,} dicabatur, quam quod serui a seruitute liberati, in statum ^{et noui ho-} naturalem primaeuac libertatis, in quo primi homines ^{mines fieri} extiterint, restitui existimarentur: unde tamen uincula ^{dicuntur.} etiam ac iura pristinae cognationis mutari consueuerunt. Et apud *Ebraeos* quidem, aduenae, qui profelyti iustitiae fieri, et in ciuitatem communionemque Iudaeorum recipi, cupierunt; ac serui, qui, heris annuentibus, in libertatem baptizabantur, per baptismum uelut infantes *renasci*, ac quasi *in aliam familiam, uitamque, transire*, ce- sebantur. Qua de re, secundum Ebraeorum placita, praeclare egit SELDENVS, *de Successionibus, cap. xxvi*; et de I. N. et G. *Libr. II, cap. 4.* *Quemadmodum*, inquit, *nouum sic nomen profelyto accessit; ita etiam natales plane noui, adeo, ut, simulac initiabatur, regeneratus haberetur.* Non semel *Talmudici* aiunt: *Profelytus, ex quo profelytus, uelut infans, qui recens nascitur, habetur, idque perinde, ac si ex noua aliqua matre renasceretur.* Unde euenit, ut nulla deinde ei restaret *pristina cognatio, seu sanguinis relatio; nec fratrem, sororem, patrem, matrem, liberos antegenitos, omnino in suis haberet.* Nomina haec, etiamsi naturalia, desere. *Quin si pater, mater, filius, frater, simul fierent profelyti, nulla prorsus restabat cognatio; et pro regula habetur: Quisquis profelyto consanguineus erat, dum fuit gentilis, consanguineus plane iam non est.* Nempe iam uelut primo creatus, aut e coelo delapsus, omnino nouus homo fiebat, consanguinitate *pristina non minus, ac gentilismo, prorsus exutus.* Unde nec

ex iure sanguinis pristini succedere ei quis potuit. Atque idem SELDENUS, de I. N. et G. Libr. v cap. 18, pag. 665, hoc etiam de seruis libertate donatis apud Iudaeos ualuisse, ex MAIMONIDE comprobauit: quo tradente, quando ex gentili profelytus, aut ex seruo liber, factus est, uterque instar infantis recens nati est habitus: et proximitas sanguinis qualiscunque, siue huius, dum gentilis erat; siue illius, dum seruus erat, iam plane desit esse. Quid? quod etiam in iure Romano, quod ex antiquo iure Attico transfusum non nulli putant, peculiare quoddam ius παλιγγενεσίας, ius regenerationis dictum, idque ex manumissione ortum, extitit, cuius mentio fit, τῶν νεαρῶν ἰκτινιασῶν ἀυτοκαταβολος, διατάξει οἱ. Διὰ τῆς θεοπύκου, εἰ τις ἐλευθερώσας οἰκίην, ἢ θεράπειαν ἀυτῆς, πολίτας ἀυτῆς ἀποφῆναι ῥωμαίους ἴσω παρὰ τῆς δευτέρας νόμου, ὡς ὁ τῆν ἐλευθερίαν λαβῶν ἔξει παρεπόμενον ἐυθύς, καὶ τῶν χρυσῶν δακτυλίων, καὶ τῆς ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΣ δίκαιον. Hoc est, ex uulgari interpretatione, AVTHENT. NOVELL. LXXVIII, cap. 1: Propterea sancimus, si quis MANVMITTENS seruum, aut ancillam suam, CIVES denuntiauerit ROMANOS; sciat ex hac lege, quod, qui libertatem acceperit, habebit subsequens mox, et aureorum annulorum, et REGENERATIONIS IUS. Atque ita etiam Imperator, NOVELL. XVIII, cap. XI, constituit, quomodo concubinae seruilis conditionis, postea uero libertate honoratae, fiant legitimae uxores, earumque liberi ius aureorum annulorum et regenerationis consequantur. Quod ius παλιγγενεσίας, siue regenerationis, id inuoluebat, ut, cum e. g. ancilla manumissa liberi hominis uxor fieret, non solum ipsa regenerata, hoc est, ex statu seruitutis in statum libertatis translata, censeretur; sed etiam liberi, a domino ex ista, tum ante matrimonium, tum in matrimonio, geniti,

geniti, ueluti restitutis natalibus, sic *regenerati* existimarentur. Imo, cum, more Romanorum, serui et ancillae, quamdiu erant in seruitute, non pro personis, sed pro rebus, et uelut pecudum loco, haberentur; demum manumissi et liberali manu in libertatem asserti, in iure Romano dicebantur, censebanturque, **NOVI HOMINES, ITEM ET ALII HOMINES.** Id quod ex L. 27. D. de *adimendis et transferendis legatis*; et ex L. 98, § 8, D. de *solut. et liberat.* intelligimus. Sed, neque illam *regenerationem* hoc loco praetereundam duco, cuius mimum aliquando Graeci in certis hominibus expiandis egerunt. Tradit scilicet **PLUTARCHVS**, in *Quaestionibus Romanis, Quaest. v.* Graecos habuisse eos homines profanos, neque ad sacra admisisse, quibus, ex falso mortis rumore, factum fuerat funus et sepulcrum, tanquam mortuis: iam uero Aristiniam quendam ea ipsa obstrictum religione, Delphos misisse, qui pro se deprecarentur, et, quo pacto difficultatibus, in quas legum auctoritate redactus erat, sese extricaret, rationem ostendendi peterent; eumque, intellecta oraculi uoluntate, sese *ὡσπερ ἐξ ἀρχῆς ἰκλόμενον, quasi recens natum*, mulieribus praebuisse lauandum, uinciendum, lactandum; idque reliquos deinde, qui in eundem casum incidissent, imitatos fuisse. Sed, missa hac ridicula et superstitiosa regeneratione, nunc uenerabundi respicimus multo sublimiorem diuinioremque *regenerationem*, et *renouationem*, quam sanctus baptismus christianis affert: dum hic, ad **TITVM III, 5**, dicitur *λατρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, lauacrum regenerationis, et renouationis, Spiritus sancti.* Neque enim hic audimus uirum alioqui doctissimum, **IAC. ELSNERVM**, qui, *P. II obseruat. sacr. pag. 328.*; *λατρὸν παλιγγενεσίας,*

de baptifino, Sacramento N. T. interpretandum eſſe, negat. Iſta uero myſtica baptizatorum regeneratio toto coelo differt a regeneratione manumiffionis. Haec enim fere non eſt, niſi ciuilis et ficta quaedam regeneratio, quae, ut ſupra dixi, ſignificat, manumiffum non amplius eſſe ſeruum ; ſed quaſi *nouum hominem*, nouumque ciuem, eumque ex ſeruitutis ſtatu in ſtatum primaeuae et naturalis libertatis eſſe reſtitutum. Contra uero *regeneratio ſpirituſualis chriſtianorum baptizatorum* eſt uera communicatio uitae ſpirituſualis, uiriumque ſpirituſualium, ut homo reſtituatur in ſtatum primaeuae integritatis, imaginisque diuinae, poſt lapſum amiſſae : dum nimirum homo, baptifino initiatus, uirtute Spiritus S. ex morte ſpirituſuali ad uitam ſpiritualem, ex ſeruitute carnis ad libertatem Spiritus, ex regno Satanae ad regnum Chriſti, hereditatemque coeli, reuocatur, et ex filio mundi filius Dei euadit. Inde uero talis homo, per baptifinum regeneratus, in Chriſto redditur *καινή κτίσις, noua creatura* ; II CORINTH. V, 17 : et GALAT. V, 15, dicitur *ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, κατὰ θεὸν κτισθέντα, ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, induiſſe nouum hominem, qui a Deo conditus eſt in iuſtitia et ſanctitate ueritatis*. CONF. EPHES. III, 10. Quae *ἀνακαινιſις, ἢ ἀνανέωſις, ἢ ἀνακαινιſμὸς*, etiam a Patribus eccleſiae frequenter tribuitur baptifino. Sic ATHANASIVS, *Homil. in Matth. XII, 31*, commemorat *τὴν ἀνακαινιſιν διὰ τῆς βαπτίſματος, renouationem per baptifinum* ; et GREG. NYSENSVS, *orat. catechet. T. III, pag. 388*, ſcribit : *βάπτιſμα ἐſτιν ἀμαρτιῶν κείραſις, ἀφεſις πλήμμελημάτων, ἀνακαινιſμὸς καὶ ἀναγεννήſεως αἰτία. i. e. Baptiſma eſt peccatorum purgatio, remiſſio delictorum, et renouationis ac regenerationis cauſſa*. Quod autem diſcrimen inter *regenerationem*,

tionem, et renovationem, praeter plures alios, accurate expo-
fuerunt Theologi eximii, ZENTGRAVIUS, in *Dissert. de
nouo homine*; et CASP. LOESCHERUS, in *Dissert. de
nomine regenerationis*.

XI.

Serui olim, ut supra indicauimus, non raro quidem, ob merita quaedam, uel ex heri liberalitate, aliisque cau-
sis, gratis manu mittebantur; interdum tamen et iis certo redemptionis pretio fuit opus. Apud Ebraeos, praeter alios modos, serui etiam certo interueniente pretio redimi poterant; siue ipse manumittendus, siue alius liberalis redemptor, pretium solueret, ita, ut illud, nummus argenteus, seu *shekel*, minimum esset. Qua de re uide SELDENVM, de *i. n. et g. Libr. vi cap. 7 et 8*. Similiter apud Graecos aequè, ac Romanos, serui non raro cum dominis suis in certam pecuniae summam pacisci consueuerant, quam pro impetranda libertate persoluerent. Atticis haec lex erat, quam supra iam excitauimus: *Τοις δούλοις ἐξέναι τὰυτὸς ἐλευθερωταί, ἀργύριον καταβάλλοντασ τῷ δεσπότῃ*. Serui quippe apud Athenienses suum habebant peculium, unde pro capite suo numerabant, ut seruitutem exuerent. Qui mos et Romanis fuit. Vnde SENECA, *Epist. LXXX*: *Quid autem melius potes uelle, quam eripere te huic seruituti, quae omnes premit; quam mancipii quoque conditionis extremae, et in his sordibus nata, omnino exuere conantur. Peculium suum, quod comparauerunt, uentre fraudato, pro capite numerant*. Perinde autem erat, an nummos haberet seruus in peculio suo, an uero beneficio amici cuiusdam? Vnde VLPIANVS, *l. 4. D. de manumissionibus*: *Connitentibus oculis, inquit, credendum est, suis nummis eum redemptum, cum non nummis eius, qui eum redemit,*

demit, comparatur. Proinde, siue ex peculio, quod ad uenditionem pertinet; siue ex aduentitio lucro, siue etiam amici beneficio, uel liberalitate, uel eo prorogante, uel in se recipiendo debitum, redemptus sit, credendum est, suis nummis eum redemptum. Vid. WILH. a LOON, l. c. Libr. III, cap. 5. Similiter et Franci, et Germaniae magnae populi, seruis indulserunt, ut aliquando, praestitis nummis, aliisque rebus, libertatem redimerent; ac sigillatim inter Francos commemorabilis fuit illa manumissio, quae coram Rege per denarium fuit celebrata; unde tales manumissi appellati sunt *denariales*. Scilicet, ut imaginaria libertatis redemptio significaretur, manumittens manumittendum, et redemptor captiuum, stetit ante Regem, eiusque liberationem a seruitute experiri: quo facto, denarius e manu serui excuti, isque liber proclamari, eidemque, in testimonium obtentae libertatis, *charta denarialis* imperitari, consuevit. Atque ita etiam apud *Anglo-Saxonas*, et *Normannos*, alii serui gratis donabantur libertate; alii uel a se, uel ab aliis, redimebantur. Cuiusmodi exempla formulasque annotauit cl. HICKESIVS, in *Dissert. epistolari de linguarum ueterum septentrionalium usu*, pag. 23. Iam uero, cum nos, per sacrum baptismum regeniti, a seruitute peccati et diaboli liberemur; cumque hinc transcamus in regnum coeleste, et in ciuitatem cum Deo coniunctam: omnino summe necessaria nobis fuit redemptio. At, cum neque ipsi, neque alius quicumque homo, pares simus placando Deo, pretioque redemptionis infiniti ualoris soluendo: quoniam, secundum PSALM. XLVIII, 4, 8, 9, *fratrem redimendo non redimet quisquam; nec dabit Deo pretium redemptionis eius*; hinc CHRISTVS *Θείον γεννῶνος*, tanquam Redemptor generis humani, dedit se

se ipsum ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, *pretium redemptionis pro omnibus*; I. TIMOTH. II, 6. Idem dilexit Ecclesiam, et semet ipsum exposuit, (παρέδωκε, tradidit se tanquam uadem redemptionis,) pro ea: ut illam sanctificaret, mundatam LAVACRO AQUAE per uerbum; EPHES. V, 25. Atque adeo non caducis rebus, uelut argento et auro, sumus redempti; sed pretioso sanguine, uelut agni immaculati et incontaminati, CHRISTI; I PETRII, 18. Hic enim est, qui uenit per aquam et sanguinem, Iesus Christus; non per aquam, sed per aquam et sanguinem. IOH. I, 6. Quae cum ita sint, CHRISTVS est Redemptor noster; qui λυτρωτής dicitur, ut SVIDAS, sub hac uoce ait, ὡς διὰ τῆς παλιγγενεσίας τῆ βαπτίσματος τῆς προτέρας ἑλευθερώσεως φθορᾶς, καὶ τῆς τῶν δαιμονίων δαλείας λυτρώμενος. i. e. tanquam per baptismi regenerationem a pristina corruptione liberans, et a seruitute daemonum redimens. SANGVIS UERO CHRISTI, in cruce pro peccatis nostris effusus, si non est materia coelestis baptismi, quod tamen non pauci Theologi probatum iuerunt; (uide CALOVIUM, *System. Theol.* T. VIII, pag. 204, seqq.) est certe causa meritoria, adeoque pretium redemptionis nostrae; utpote a quo uirtutem suam et efficaciam habet baptismus: quia Sanguinis Iesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato. I IOH. I, 7. Quam in sententiam congruenter differit AMBROSIVS, *Libr. III de SS. cap. XI*: *Audi, quomodo testis Spiritus mentem renouat; aqua proficit ad lauacrum; sanguis spectat ad pretium; Spiritus Dei nos per adoptionem filios Dei facit; sacri fontis unda nos abluit; sanguis Domini nos redemit!*

XII.

In quibusdam manumissionis generibus opus fuisse Teste, in
 testibus, notius est, quam ut multis comprobari debeat. manumif-
 sione, et

baptismo
adhibiti.

In Iudaeorum baptismo, per quem profelytis aperiebatur aditus ad ius ciuitatis Iudaicae, et quo aliquando serui etiam baptizabantur in nomen libertatis, affuisse triumuiros, iam supra notauimus; qui triumuiiri non solum huius actus erant moderatores, sed et testes. Apud Romanos antiqua et solennis manumissio peragebatur in foro, hoc est, spectante et teste populo. Inde apud PLAVTVM, in *Persa*, V, III, 14, haec legitur: *TO. Dii dent, quae uelis! Eho, an iam manu emisisti mulierem? -- D. I ad forum, ad Praetorem; exquire; siquidem credere mihi non uis. Libera, inquam, est.* Nominatim manumissio per epistolam peragi non poterat, nisi haec epistola quinque testium nominibus subscripta, et signata esset. Testatur id IVSTINIANVS, § 1 *Legis unice Cod. de Lat. libert. tollenda: Sancimus itaque, si quis per epistolam seruum suum in libertatem perducere maluerit, licere ei hoc facere, quinque testibus adhibitis, qui -- fidem perpetuam possint chartulae praebere.* Sic etiam ad manumissionem inter amicos, cum dominus praesentibus amicis seruum liberum esse iussit, requirebantur quinque testes. Quod idem uoluit Imperator, § 2 *legis un. Cod. de Latin. libert. toll.* Eadem ratio ex hac parte erat manumissionis in Ecclesiis. De qua, *L. 1 Cod. de his, qui in Eccles. manum.* CONSTANTINVS Imp. haec constituit: *Iamdudum placuit, ut in Ecclesia catholica libertatem domini suis famulis praestare possint, si sub adpectu plebis, assistentibus christianorum Antistitibus, id faciant: ut, propter facti memoriam interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi uice testium signent.* Conf. SOZOMENVS, *Histor. Eccles. Libr. 1, cap 9.* Atque, cum HICKESIUS l. c. stricte enumerat modos, quibus ab Anglo-Saxonibus serui manumitti consueuerint: *Manumittebantur, inquit, a defunctis*

*sanctis testamento ; a uinis in curiis comitatus, Hundredi ; in Ecclesiis, et uenaliū foris, palam, et coram testibus ; iisque portas apertas, et uias liberas, denuntiando. Atque adeo etiam in illa sancta initiatione libertatis christianae inuenimus testes : non dicam nunc de tribus testibus summis et diuinis, qui testimonium dant in coelo ; I. IOH. V, 7 ; sed de testibus hominibus : quos ad sacri baptismatis solennia adhiberi, quamuis uetusti moris sit ; uarie tamen disputatur, quo sigillatim tempore, et qua occasione, ritus hic inualuerit. Praeterquam enim, quod primum potissimum publicè et in conuentu *fidelium* ; atque, simulac Ecclesia christiana accepit baptisteria et templa, in his, pòpulo quidem praesente, baptismus administrari consueuit, ut plures huius sacri actus testes essent, pluresque sociarent preces pro eo, qui sacris christianorum initiandus erat : nihilominus praeterea certi homines assumebantur, qui initiandum sacerdoti sisterent, et de *baptizari* accessu ad ecclesiam, baptismoque rite suscepto, testari possent. Equidem non nulli tradidere, *Hyginum*, Papam, qui A. C. 138 floruit, cum sub *Antonio*, Imperatore, uiderit liberos saepe ex parentum complexibus ad idola colenda abripi, et sacra christianorum pleraque in occulto, ipsumque baptismum, remotis arbitris, peragi, primum instituisse, ut unicus saltem testis baptismò interesset : uerum, decretum illud, quod hodie in *GRATIANI Decret. P. III distinct. 4, de consecrat. c. 100*, legitur, fictitium esse, alii iam ostenderunt. Sensim potius, uti aliae atque aliae personae, ita etiam ad alia, praeter testimonium perhibendum, officia initiando praestanda, admissae adscitaeque fuerunt. *AVGVSTINVS*, qui inter confinia saeculi a. C. N. quarti et quinti floruit, de temporis sui more, *EPIST.**

XXIII, quae in *Antuerpiensi editione* est LXXXVIII, ita disse-
 rit: *Videas, multos non offerri a parentibus, sed etiam a*
quibuslibet extraneis; sicut a dominis seruli aliquando offer-
runtur. Et non nunquam, mortuis parentibus suis, paruuli
baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam
praebere potuerunt. Aliquando etiam, quos crudeliter parens
exposuerunt nutriendos a quibuslibet, non nunquam a sa-
cris uirginibus colliguntur, et ab eis offeruntur ad baptismum.
 Isti uero testes, pro diuersis actibus officii sui, etiam aliis
 atque aliis nominibus designari consueuerunt. A TERT-
 IVLLIANO, *de baptismo, cap. XVIII*, dicuntur *sponsors*; quia
 sacerdoti interroganti non solum nomine infantum re-
 spondent; sed etiam *satanae abrenunciationem*, et fidei
 christianae professionem, promittunt, spondentque. Ex
 qua ipsa causa, ab AVGVSTINO, *Serm. CXVI*, etiam *fidei ins-*
tores appellantur. Vt plurimum *susceptores*, et Graecae
ἀνάδοχοι audiunt; quoniam e salutaris lauacro suscipiunt
 initiatos. Praeterea uocantur *πνευματικοὶ πατέρες, χειρα-*
γωγοὶ, ἡγιμόνες, καθήγεμόνες, παιδαγωγοὶ, σύνενοι, offeren-
 tes, *patrini, matrinae, compatres, commatres, propatores.*
 Quae nomina SVICERVS, in *Theaur. eccles.* passim expli-
 licat. Plura de his susceptoribus et testibus baptismi
 haud aegre dare possemus, nisi breuitatis ratio sit ha-
 benda: facile autem aliorum desiderio occurrerit GER-
 HARDVS VAN MASTRICHT, in *schediasmate de suscepto-*
ribus infantium ex baptismo, eorum origine, usu, et abusu:
 quod uero schediasma uidere mihi nondum contigit.

XIII.

Tam ba-
 ptizatis,
 quam ma-
 nomissis,
 nomina im-

Perantiqui omnino moris est, *baptizatis imponi no-*
mina, aut pristina mutari. Equidem a prima baptismatis
 institutione id potissimum ualuisse animaduertimus, ut,
 quicumque in nomen CHRISTI baptizarentur, etiam chri-
 stiani

stiani fierent, atque appellarentur; neque tamen tunc statim speciale et proprium nomen sacro lauacro ablutis impositum, aut cum pristino commutatum fuisse, uideatur. Sic certe non legimus, uel ipsum *Seruatorem nostrum*, IES VM; uel *Cornelium centurionem*; uel alios, ex baptisano nouum retulisse nomen. CASALIUS, de *ueter. christianorum ritibus sacris*, pag. 417, hunc morem refert ad tempora *Clementis I, Papae*, qui discipulus *Petri apostolę* fuisse creditur. Is uero, *Epistol. III ad omnes Episcopos*, praecipit, ut, si quis fidelis existere uoluerit, et desideret baptizari, accedat ad sacerdotem, et ipse profiteatur nomen suum, et ab eo audiat mysteria. Verum, his uerbis non indicatur noua nominum impositio, aut eorum mutatio. Ii enim, qui ad religionem christianam conuerti, et christiani fieri uolebant, nomina sua apud sacerdotem profiteri iuebantur, ut ea in tabulas publicas Ecclesiae referrentur; sicuti nomina manumissorum in acta publica referebantur, adiecta manumissionis causa; uti *Donatus ad Terentii Adelp.* V, VIII, 2, annotauit. QVENSTAEDIUS, Theologus quondam Vitembergensis, in *Dissert. de ritibus baptismalibus*, § XII, fatetur, in primae ad annum Christi trecentesimo Ecclesiae monumentis sibi nihil occurrisse, unde liqueat, istis temporibus in uocari, seu noui nominis impositionem, cum baptismo fuisse coniunctam: imo, *Hugonem Menardum, Monachum Benedict.* in notis ad librum *Gregorii de sacramentis*, pag. 98, multis argumentis demonstrare, nomina olim non in ipso baptismo, sed ante eum, fuisse infantibus a christianis imposita. Quanta uero superstitione non nulli ueteres christiani in imponendis nominibus sint usi; indicat, taxatque, CHRYSOSTOMVS, ad I. CORINTH. III, *Homil. 12*; ubi

queritur, infantes non amplius nominibus Sanctorum condecorari, uti moris apud ueteres fuerit; sed quosdam accensis lucernis nomina pro lubitu imponere, eo consilio, ut infans eo appellaretur nomine, quod nomen gesserit lucerna, quae diutissime durauerit, et signum longae uiae attulerit infanti. Sunt, qui putent, ritum nominum sollemniter imponendorum a paganis peruenisse ad christianos. Graeci enim, Romanique, cum luce ueritatis coelestis adhuc destituerentur, habuere diem lustricum; quem Graeci a natiuitate decimum; Romani, nonum masculi; et octauum puellae, numerauerunt, in quo infantibus recens natis imposuere nomina. Haec de Romanis FESTVS tradit, sub *lustrici* uoce. *Lustrici*, inquit, *dies infantium appellantur, puellarum octauus; puerorum nonus: quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Tunc uero infans uariis expiatus ritibus, domo efferebatur in templa deorum, et propinqui inuitabantur ad epulum, ac munera infanti, eiusque matri, mittebantur. Id quod ueterum scriptorum testimoniis iam confirmarunt, RVBENIVS, *Elector. Libr. I, cap. 5*; MEVRSIVS, in *Graecia feriata*, sub uoce ἀμφιδρόμια. et TH. BARTHOLINVS, *de puerperio ueterum*, pag. 130, seqq. Nescio uero, annon ritus nominum infantibus in baptismo imponendorum maiore uerisimilitudine deducatur a more Iudaeorum, qui paruulis in *circumcisione*, in cuius locum successit *baptismus*, nomina dedere: quod patet exemplo *Iohannis*, LVC. I, 59; et ipsius seruatoris, IESV; LVC. II, 21. Vt eunque est, et quocumque tempore Ecclesia recepit consuetudinem nominum baptizatis in baptismo imponendorum, mihi in hoc argumento uersanti satis est, me etiam ex hac parte quandam similitudinem et affinitatem

tatem ricuum manumissionis, et baptismi, ostendere posse. Etenim, et in manumissione serui noua fortiebantur nomina, plerumque a nominibus Patronorum adscita. Sic *Dionysius, M. Pomponii Attici seruus*, postquam manumissus erat, audiit *M. Pomponius Dionysius*; quod ex CICERONE, *Epist. ad Attic. IV, 4*, intelligimus. Ipsius Ciceronis libertus alter uocatus est *M. Tullius Tiro*; alter, *M. Tullius Laurea*. Taceo exempla multo plura. Moris huius mentionem iniecit ARTEMIDORVS, *Libr. 1, cap. 47*; ubi narrat, se nouisse quendam, qui sibi uisus sit tria uirilia habere; deinde uero liberum factum pro uno nomine tria accepisse, duobus nominibus a manumittente assumtis.

XIII.

Mulier peregrina, eaque captiua, cum Israelitae nuptura, et in rempublicam Iudaicam recipienda, esset, ut iam supra dixi, iubebatur deponere uestem, in qua capta erat. DEUTER. XXI, 12, 13. Quae, si non albam, certe puram, et feminae liberae decoram, tunc induit uestem. Et quidni putemus, eiusmodi mulierem, ueste captiuitatis deposita, induisse uestem albam? cum Iudaeorum magistri tradant, cum primis uirgines et sponsas, ex uerustissimo more, albo uestitu ornatas fuisse. Apud Romanos ea fuit consuetudo, ut serui, qui alias tantum tunicis, aut paenulis, uti solebant, ubi manumissi erant, in signum libertatis adeptae, alba toga, illa communi ciuium liberorum ueste, induerentur. Vide MANVTIVM, *Libr. III Quaest. Epist. 1*. Hinc PLAVTVS, *Casin. III, 1, 9*, de Olympione, nouo liberto: *Villicus hic, inquit, cum corona, candido uestitus, laute, exornatusque, ambulat.*

Et manumissi, et baptizati, mutatis candidisque uestibus uti consueuerunt.

TERTULLIANVS, *de Resurrect. carnis, cap. LVII*, testatur, suo etiam aevo morem istum uiguisse, ut manumissi, prae-ter alia libertatis insignia, etiam *uestem candidam* acceperint. Oro te, inquit, *si famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quae flagellis, et compedibus, et stigmatibus, obnoxiae retro fuerant, idcirco illa eadem pati oportebit? Non opinor. Atqui, et VESTIS ALBAE nitore, et annuli aurei honore, et patroni nomine, ac tribu, mensaque, honoratur. Quid? quod ex QVINCTILIANI Declamat. CCCXLII, discimus, etiam ancillam, intelligi in libertate esse, quae uolente et spectante domino, habitu matronae, i. e. stola, fuerit ornata. Sicutidem, Declam. CCCXL, contendit, etiam eum seruum eo ipso fieri liberum, cui dominus praetextam, quae non modo libertatis, sed etiam dignitatis, fuit insigne, induendam dederit, ut specie praetextati imponeret publicano. Iam uero satis constat, eos etiam, qui fonte sacro abluti CHRISTO dedere nomina, per multa saecula, post sanctum lauacrum, ueste alba ornatos fuisse, tanquam *nouos homines*, et *ciues reipublicae christianae*, libertateque christiana donatos. Ac baptizati quidem, secundum PHOTIVM, *Cod. CCXXII, pag. 595*, septem diebus incedere solebant *candidati, λαμπροφόροι*. Inde et ipse festus dies resurrectionis Christi uocabatur *λαμπροφόρος ημέρας*, apud THEOPHANEM, *Orat. XXVI, pag. 187*; non solum, quod tunc omnia luminibus cereisque accensis illuminarentur; sed quod baptizati etiam candidas et splendas uestes gererent. Cuiusmodi candidis uestibus incedebant recens baptizati a sabbato sancto, ad sabbatum ante octauas: quo die, denuo in templum progressi, eas uestes deposuerunt. Quae ipsa hebdomas exinde *hebdomas albarum**

ap.

appellari consuevit ; sicut interdum et ipsa *Dominica*, quae albarum hebdomadem secuta est, *dominica alba*, uel in *albis*, item *Dominica Quasi modo geniti*, audit. Vide b. IO. ANDR. SCHMIDII dissertat. de *Dominica in albis* ; et *Lexicon ecclesiast.* sub uoce, ALBA. Vestis illa a Patribus Ecclesiae uariis nominibus insignitur, dum dicitur λευκή σολή, ένδυμα Φωτεινόν, ένφώτειος έδθής, μυσική έδθής, ένδυμα παλιγγενισίας, κ. τ. λ. Significationes mysticas huius uestis, quas pii Patres passim explicant, bene breuiterque complexus s. R. DEYLINGIUS, *Obseruat. sacr. P. III, pag. 326* : *Quo ritu, inquit, ueteres significasse uidentur, homines baptismi lauacro imittatos, peccatorum sordibus purgatos, lotos, iustificatos, ac candidatos esse aeternitatis, in gloriam coelestem euehentos. Monuerunt etiam baptizatos hoc ritu, ut meminissent, se iam manumissos, et ex seruis ac mancipiis diaboli factos esse liberos Iesu Christi.* Occurrunt quidem etiam aliquoties in sacris literis loquendi formulae, quae hunc ritum respicere uideantur ; u. g. GALAT. III, 27 : *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* EPHES. III, 24 : *Induite nouum hominem, qui secundum Deum conditus est, in iustitia et sanctitate ueritatis.* Adde COLOSS. III, 10. Sed dubito, an euidenter probari possit, iam primos christianos in baptismo candida ueste ufos esse. Vix Patres ecclesiae inuenies, qui ante saeculum tertium huius ritus mentionem faciant. D. D. DEYLINGIUS, l. c. initium huius ceremoniae refert ad initium saeculi post Christum natum tertii ; cum iam CYPRIANO recens baptizati dicantur *candida cohors*. Ergo illas loquendi formulas, quas non nulli a sacris Eleufiniis accerfunt, nunc malim referre ad albam puramque togam, qua, uelut insigni libertatis, et iuris ciuitatis, indui moris fuit manumissos, tanquam *nouos homines*, libertosque reipublicae.

blicae. Sed forte uenit mihi in mentem mirum exemplum ritus huius aeuo LVDOVICI Pii, Imperatoris. Cum enim, referente MONACHO SANGALENSI, *Libr. II de gestis Caroli M. apud CANISIVM, T. I Lect. antiqu. pag. 425, Legati Normannorum, ad eum missi, christianam religionem susciperent, sacroque baptismo initiarentur, a primoribus palatii quasi in adaptionem filiorum suscepti, de Camera quidem Caesaris, candidatum, (i. e. candidas uestes;) a patrinis uero suis habitum Francorum in uestibus pretiosis, et armis, acceperunt. Cumque postea plures aqua sancta perfunderentur; nec tot uestes lineae essent in promptu, iussit idem Imperator incidi camisia, et in modum septium consui, uel in modum uitium pastinari. Quarum cum una cuidam seniorum illorum repente fuisset imposita, et ille eam curiosioribus oculis ex tempore contemplatus fuisset, iam indignatione non modica mente concepta, dixit ad Imperatorem: *Iam uicies hic totus sum, et opimis candidissimisque uestibus indutus; et, ecce, talis saccus non milites, sed subuleos, condecet; ac, nisi nuditatem erubescerem, meis (uestibus) priuatus, nec a te datis correctus, amictum tuum cum Christo tuo tibi relinquerem.* De hodierno ritu ait HILDEBRANDVS, in rituali baptismi ueteris, pag. 89: *Hodie in nostris Ecclesiis huius candidae uestis uicem gerit candens indusium, uel candida mitella, quae capiti infantis statim a baptismo imponitur; Germani uocant das Wester. Hembdlein.**

XV.

Coronis et
sertis tam
manumissi,
quam ba-
ptizati,

CYNAEVS, de *Republ. Ebraeorum*, 1, 2, ex *Maimonide* refert, apud Ebraeos, inter Iubilaei solennia, seruos libertate donatos, *gestasse coronam*. Etiam apud Graecos, et nominatim apud Lacedaemonios, qui alioqui minus studiosi

diosi fuere ceremoniarum, corona fuit inſigne et libertatis et honoris; adeoque et apud hos ſerui manumiffi coronari, et ita coronari circa templa conſueuerant duci. aliquando ſuere ornati.
 Id indicat THUCYDIDES, *Libr. III, pag. 148*, ubi narrat, Lacedaemonios, cum *helotum*, (ſeruorum) turbam reformidarint, praecepiſſe, ut, quicumque aduerſus hoſtes ſtrenuiſſimi fuiſſe ſibi uiderentur, ſecernerentur tanquam manumittendi: quorum cum bis mille diſcreti fuiſſent, hos coronatos circuiſſe templa, tanquam libertate donatos. Apud Romanos alioquin inſigne libertatis fuit *pilleus*; unde SVETONIO, in *Tiberio, cap. III*; et SENECAE, *epiſt. XXXVII, ad pileum aliquem uocare*, idem dicebatur, ac *uocare ad libertatem*. Vide CAROLVM PASCHALIVM, *de coronis, Libr. VIII, cap. 23*. TERTVLLIANVS tamen indicat, etiam ſeruos inanumiffos ſuo tempore coronatos fuiſſe. Capite enim *XIII de corona militis: Coronatur*, inquit, *et uulguſ nunc, ex principalium proſperitatum exultatione*; -- *Coronant et nuptiae ſponſos; Coronat et libertas ſaecularis. Sed tu iam redemptus es a Chriſto, et quidem magno. Seruum alienum quomodo ſaeculum manumittet? -- Si uerum putas ſaeculi libertatem, ut et corona conſignes; rediſti in ſeruitutem hominis, quam putas libertatem; amiſiſti libertatem Chriſti, quam putas ſeruitutem*. WILH. a LOON, *Libr. IV, cap. 3, § 6*, hunc manumifforum coronatorum ritum refert ad domeſtica libertatis conceſſae inſignia: qui tamen ritus non perpetuus fuiſſe uideretur. Interim tamen cum etiam in chriſtianorum initiatione aliquando uſurparum, deprehendimus. Saltem *mitram* baptizatae puellae a ſuſceptore impoſitam eſſe, docet OPTATVS MILEVITANVS *contra Donatum, Libr. II*, in *T. IV Biblioth. magnae Patrum*. Haud ſecus hodie etiam, in aliquot Germaniae locis, *candidam mitram, ſeu pileolum album,*

bum, renati infantis capitulo imponi, obseruauit CHRIST. FRANC. PAVLLINVS, *libr. de Candore, sect. II, cap. 1, § 2.* Imo, HILDEBRANDVS, in *Rituale baptismi ueteris, pag. 94,* iam annotauit, morem olim fuisse *neophytis* statim a baptifimo imponendi *coronas*, uel *serta*. Id quod probat ex *Ordine baptismi*, qui SEVERO patriarchae tribuitur, et T. XI *Biblioth. Patr. extat.* Ibi haec legimus: *Sacerdos baptizatum coram altari eleuat, eique dat eucharistiam; deinde sertis eundem coronat, et baptizatos omnes ita compellat: Psallite hymnum filio Dei, qui regia corona uos iam coronauit. Vos enim immarcessibiles coronas modo accepistis.* Etiam certum uelamen mysticum, capiti baptizati impositum, cum corona, uel diademate, comparat ALCVINVS, *Libr. II de diuin. offic. cap. 9, T. III Biblioth. Patrum;* ubi inter ceteros baptismi ritus hunc commemorat: *Deinde baptizatus albis induitur uestimentis, propter gratiam regenerationis, et castitatem uitae, et angelici splendoris decorem. Tunc sacro chrismate caput perungitur, et MYSTICO tegitur VELAMINE, ut intelligat, se DIADEMA regni, et dignitatem sacerdotii portare, iuxta Apostolum: Vos estis genus electum regale, sacerdotale; offerentes uosmet ipsos Deo uino hostiam sanctam, et Deo placentem.*

XVI.

Cum manumissi, tum baptizati, circumagi, siue circumuertii, et alapaici, consueuerunt.

In manumissione, et ea quidem potissimum, quae per uindictam fieri dicebatur, dominus seruum, ad Praetorem ductum, dextra apprehendebat, et circumagebat, siue in gyrum uertebat, et, inter uertendum, faciem eius alapa percutiebat. De quo ritu iam supra, pag. 19, dixi. Eundem ritum exprimit PERSIUS, *Satyr. v, u. 73, seqq.*

*Libertate opus est: non hac, ut quisque Velina
Publius emeruit scabiosum tesserula far
Possidet. Hen, steriles ueri, quibus una Quiritem
VERTIGO facis: hic Dama est non tressis agaso,*

Vappa,

Vappa, et lippus, et in tenui farragine mendax.
 VERTERIT huic dominus, momento turbinis exit
 Marcus Dama.

Quem Persii locum breuiter ita explicat GORNVTVS.
 vetustus scholiastes: Quos manumittebant, eos ALAPA per-
 cussos CIRCVMAGEBANT, et LIBEROS confirmabant.
 Manumissio vero dicta, quod manu mitterentur. Vindicta
 virga est, qua manumittendi a Praetore in capite pulsantur;
 ideo dicta, quod eos vindicat libertati.

Haud secus et CLAVDIANVS, de IIII consulatu Honorii,
 v. 615, seqq. hunc morem describit:

*Adspice, mox laetum sonuit clamore tribunal,
 Te fastos inuenite quater; solennia ludis
 Omnia libertas. Deductum Vindice morem
 Lex celebrat, famulusque iugo laxatus herili
 Ducitur, et grato remeat securior ictu.
 Tristis conditio, pulsata fronte, recedit
 In Ciuem: rubuere genae, tergoque remouit
 Verbera promissi felix iniuria voti.*

Manumissis, quibus libertas dabatur, alapam fuisse
 inflictam, indicat etiam PHAEDRVS, *Libr. II fab. V*; apud
 quem Tiberius Caesar seruo libertatem inepto ministere
 affectanti dixit: *Multo maioris alapae mecum ueneunt.*
 i. e. multo maiora eius merita esse debent, cui ego, in-
 flicta alapa, concedam libertatem. Et clarius IUSTINIA-
 NVS, *Novell. LXXXI, praef.* Si emancipationis actio, inquit,
 dudum quidem, et per eas, quae nuncupantur legis actiones,
 facta cum iniuriis et alapis, liberabat eos huiusmodi uen-
 talis: quomodo futuri essent codicilli omnium honestissimi dati
 a praesidente uniuersis, imperio non eos posse paterna potesta-
 te liberare? Iam igitur ritus huiusmodi etiam in bapti-
 smo usitatos deprehendimus: dum inter abrenuntiationem

Sacerdos baptizandum *ab occidente ad orientem uertit*; et iam baptizato, in *Confirmatione*, (quae olim eodem tempore cum baptismo fuit coniuncta,) *leuem ducit alapam*. Quem ritum adhuc hodie in Ecclesia catholica obseruari, testatur BELLARMINVS, *Libr. II de baptismo, cap. 13*. Istum uero *circumuertendi neophyti* morem iam CYRILLVS *Hierosolymitanus*, qui saeculo quarto a christo nato floruit, *Cateches. i mystagog. pag. 228*, commemorat. Cuius uerba, ut chartae parcam, tantum Latine facta huc afferre licebit. *Veruntamen audite*, inquit, *quid nutu manus, tanquam ad praesentem dicitur: Renuntio tibi, Satana! Qua de causa uero primum uersus occasum steteritis, operae pretium esse pu- to explicare. Cum solis occasus apparentium, tenebrarum sit locus; diabolus autem cum sit tenebrae; robur in illis suum habet. Idcirco symbolice occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum principi renuntiat. etc.* Et, pag. 230: *Cum itaque satanae renuntiaueritis, et omne cum illo pactum rescideritis, ueteres, inquam, pactiones cum inferno; aperitur tibi paradysus Dei, quem ipse ad orientem plantauit. Et huius rei symbolum est, cum ab occasu CONVERTERIS ad ortum, quae lucis est regio. Tum admonebaris, ut diceres: Credo in Patrem, et Filium, et in Spiritum sanctum, et in baptisma poenitentiae. etc.* Ita quidem CYRILLVS hunc conuersionis ritum pie explicat; sed, si eum cum *circumactione manuum-missorum* conferamus, dicere queamus, eo ritu ab initio simpliciter mutationem et conuersionem status baptizati forte debuisse significari, quo is ex seruitute peccati in libertatem Spiritus, ex potestate satanae in ecclesiam christianam, regnumque coeli, transferatur; nullumque genus contumeliarum et iniuriarum exhorrescat, dummodo christianae aeternaeque libertatis potiatur, et a CHRISTO, qui pro liberatione generis humani etiam colaphos perpeffus est,

est, salutem referat : haud secus, ac *circumactione et alapa manumissorum* indicabatur conuersio status ; cum ex seruo liber et nouus homo fieret ; cumque extremam seruitutis plagam, et uindictae alapaeque ictum pro liberatione omnis in futurum infamiae ac probri, libenter subiret.

XVII.

Apud Lacedaemonas olim, seruos, qui libertate donati fuerant, coronatos templa circumiisse, paulo ante, aliquando in templis, et tempore pag. 40, ex *Thucydide* ostendi. Antiquis reipublicae Romanae temporibus, serui coram Praetore, per uindictam pasthatis manumissi, ita et christiani sic baptizati sunt. manumissi, demum *in templum Feroniae deduci sunt soliti*, ut ibi pileum, tanquam publicum libertatis insigne, acciperent. SERUIVS, ad *Virgilium, Aeneid. VIII, 546* : FERONIA mater, inquit, *nympha Campaniae. Haec etiam libertorum dea est ; in cuius templo raso capite pileum accipiebant. - - In huius templo Tarracinae sedile lapideum fuit, in quo hic uersus incisus erat* : BENE MERITI SERVI SEDEANT. SVRGANT LIBERI. Suspikor, ibi etiam lauatos fuisse liberos recens manumissos : quia ad templum Feroniae fons facer' erat, in quo religionis et purificationis causa ablui solebant, commentatoribus ad *uersum 24 Satyrae V HORATHII* annotantibus : *Ora manusque tua lauimus, Feronia, lympba.* Similiter, religione christiana iam inualefcente, ex CONSTANTINI M. Constitutione, *manumissio in Ecclesiis* peragebatur, manumissisque ciuitas Romana cum libertate concedebatur : dum seruus manumittendus manu ad ecclesiam deducebatur ab hero, et ante altare, in conspectu sacerdotum, populi que adstantis, *libellus petitorius* domini offerebatur, ac recitabatur ; in quo is petebat, ut seruo suo libertas daretur ; atque mox *tabula libertatis* conscripta, et a clero teste signata, tradebatur manumisso, ut hic deinceps aequae, ac ab ingenuis parentibus

tibus fuisset natus, sicut alii ciues Romani, uitam ageret ingenuam. Cuius *manumissionis in Ecclesiis iam supra, pag. 32, ex Codice Iustiniano, et Sozomeni Historia ecclesiastica, mentionem inieci. Nunc saltem ex Legibus Ripuariorum, Tit. LVIII, § 1, apud LINDBROGIUM, pag. 461, unicam adhuc locum annoto; quem uero quo minus exscriptum huc transferam, festinatio prohibet. Haec uero manumissio in Ecclesiis potissimum peragebatur diebus Paschalis. Id quod cognoscimus ex Rescripto VALENTINIANI, THEODOSII, et ARCADII, Imperatorum, Leg. VIII Cod. de feriis: Actus omnes, seu publici sunt, seu privati, diebus quindecim paschalis conualescant. In his tamen, et emancipandi, et manumittendi, cuncti licentiam habeant, et super his acta non prohibeantur. A. C. 392. Atque GREGORIUS etiam NYSSENSIS, in Orat. III de resurrect. Christi: Nubus, inquit, adeo aegritudine pressus et obnoxius est, quis per huius festi magnificentiam mali sui remissionem sentiat, atque leuamen. Hoc die nexi soluantur; debitor dimittitur; seruus bono et humano praeconio atque edicto Ecclesiae manumittitur. Iam, quod ad sacrum baptismum attinet, id quidem in prima Ecclesia libere in fluuiis, fontibus, stagnis, peractum, ita, ut Apostolos sub dio, in uia, in domibus, in carcere, baptizasse legamus; deinde tamen, cum sub Constantino Imperatore a christianis condi coepissent templa, Ecclesia in iis, populo praesente, baptismum administravit. Cuius sacri loci ad baptismi solennitatem quaedam uelut necessitas uariis legibus fuit sancita. Sic legimus ordinatum fuisse Canone LXI Synodi Constantinopolitanae VI: In aede oratoria, quae est intra domum, baptismus nequaquam peragatur: sed, qui ab omnibus sordibus aliena illuminatione digni habendi sunt, ad catholicas Ecclesias, et hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quae a nobis constituta sunt, non seruare conuictus fuerit; si sit quidem clericus, deponatur; si autem laicus, segre-*

segregetur. Idem fere etiam decretum fuit *Canone xv Consilii Colontiensis*. Et quamvis tempus baptismi ab initio etiam fuerit liberum, neque ex praecepto diuino ad certum diem adstrictum deprehendatur; uetus tamen Ecclesia duo maxime habuit solennia baptismi tempora, *Pascha*, et *Pentecosten*. Testatur **SOCRATES**, *Histor. eccles. Libr. v, cap. 21*, in *Ecclesiis Thessalicis*, semel duntaxat in anno, idque *Paschatos sacro*, baptizari consueuisse. Etiam **BASILIVS**, in *exhortatione ad baptismum*, *T. I oper. pag. 476*, omne quidem tempus ait baptismum esse idoneum; nullum tamen accommodatius *Paschate*. **TERTULLIANVS**, qui de more *Africanae Ecclesiae* loquitur, *Libr. de baptismo, Cap. xviii*: *Diem, inquit, baptismi solenniorem Pascha praestat; cum et passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est; quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia Spiritus S. dedicata, et spes aduentus Domini subostensa. Iam quidem nihil decentius, nihilque reuerentius est, quam tam sanctum mysterium eo potissimum loco et tempore administrari, ubi frequentior est fidelium coetus; cum tamen nihil de his praesiniant diuiniore literae, neque nunc Ecclesia repurgata ea certo loco et tempore unice adstrinxit. Atque adeo recte dixit TERTULLIANVS, l. c. Ceterum, omnis dies, (adde: omnis locus,) Domini est; omnis hora, omne tempus habile baptismi. Si de solennitate interest; de gratia nihil refert.*

XVIII.

Restarent alii quidam ritus recensendi manumissionis, et baptismi, qui quamdam inter se affinitatem et similitudinem habent. Ita scilicet facile ostendere possem, uti non solum adulti, sed etiam *infantes*, identidem fuerint manumissi; ita etiam *infantes* multo rectius ad baptismum admissos esse: adhaec baptizatis non secus, ac manumissis, quaedam *dona* fuisse data: Praeterea, uti manumissis in Ecclesia, ita et baptizatis, manus imponi consueuisse; et quae plura sunt huiusmodi rituum conuenientium exempla. Verum, cum argumentum hoc iam praeter opinionem mihi sub manibus accreuerit, in hac qualicunque opella iam acquiesco.

pag. 5, u. 16, pro, recipuntur, l. recipiantur. Ibid, u. 20, l. MATTH. XXVIII. pag. 8, u. 9, l. *Indica*. pag. 10, u. 23: *Indaeorum*. pag. 17, u. 7; l. *tiuocinio*. pag. 20, u. 15, l. *Academicae*. pag. 21, u. 19, l. *בְּחִירָתָם*. pag. 26, u. 13, l. *Αὐτοῦ ἀποστόλου*. pag. 28, u. 19, l. GAL. VI, 15, atque EPHES. IV, 24. pag. 29, u. 12, l. *nummus*. pag. 31, in margine l. *Testes*, pag. 34, u. 16, l. *Graece*, etc.

PEREXIMIO HONORVMQVE

CAND

BERNHARDO IA

AFFINI ET AMICO

S

C. G. SCHVV

Religio mihi est, TE non
in paucis chare, neque t
um impertire: ut ILLVSTR
BVS, MAECENATIBVS que
recteque tempus apud nos h
uitam Academicam alia libe
posita, metituses; neque, qu
lubricam et praecipitem studi
nitate et philosophia rite pra
inprimis diuinioris, eruditio
dis. Haud tritum hoc, sed tu
metu lapsionis, ad metam per
confecto, decus assiduitatis et
uoto consequare. Ea uero TIB
liberalis doctrinae maxime est
asque animi facultates non fo
das, exemplis; sed et exerc
Atque adeo, quod felix faustu
grederis, in quo tua se indust
doctrinaeque copiam, in lu
busque ingeniorum existima
Quo propius igitur adhuc bo
quo magis rectissimis suauissi
oblector: hoc impensius TIB
applaudo, et honores, quos
esse iubeo, ut, DEI IMMORT
cumulatosque uirtutis ac stud
parte expleas spem ac uota OP
RVM, simulque feliciter st

A PARENTE LVSTR

EOQVE SVMME V

NVM THEOLO

duc

ORVMQVE PHILOSOPHICORVM DIGNISSIMO
CANDIDATO

ARDO IACOBO DE GENIO

ET AMICO SVO SVAVISSIMO

S. D.

G. SCHVVARZIVS. P. P.

est, TE non publice iam alloqui, DE GENI
nare, neque tibi promeritum laudis testimoni-
ut ILLVSTRIBVS PATRIAE PROCERI-
TATIBVS que, et aliis, constet, quam bene
s apud nos hucusque collocaris. Neque enim
icam alia libertate, quam quae in uirtute est
es; neque, qui uulgaris multorum error est,
ecipitem studiorum iniisti uiam; sed, huma-
philia rite praemunitus, ad arcem uerae, et
oris, eruditionis alacriter nauiterque conten-
um hoc, sed tutum certe iter est, quod te, sine
ad metam perducit, ut tandem, cursu feliciter
s assiduitatis et modestiae animo propositum ex-
e. Ea uero TIBI diuinitus contigit indoles, quae
ae maxime est capax, et ipsa se excitat, eximi-
ultates non solum laudatissimis, quibus abun-
; sed et exercitatione, confirmat, et perficit.
uod felix faustumque sit, iam nunc campum in-
o tua se industria explicat, et ingenii tui uim,
opiam, in luce ponit, eamque optimis qui-
orum existimatoribus felici successu approbat.
itur adhuc bonae mentis tuae dotes inspexi; et
issimis suauissimisque moribus et institutis tuis
impensius TIBI, tam bene praeclareque agenti,
honores, quos tuo capeffes merito, fortunatos
DEI IMMORTALIS praesidio adiutus, maturos
uirtutis ac studiorum fructus referas, et ex omni
em ac uota OPTIMORVM PARENTVM TVO-
que feliciter sustineas decus nominis, quod
NTE LVSTRICO, hodie PRIMARIO,
VE SVMME VENERANDO, SAXO-
VM THEOLOGO, auspiciatissime
ducis, Vale.